



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Diff. 2. Argumenta partis affirmativæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

codem modo prævideret illa, saltem in aliquo ligno, quo modo extitura erant: poterant enim, ut dictum supra, inadæquatè prævideri, consequenter poterant prævideri, ut dignificata non nisi à gratia. Unde etiam operatio Christi completè & adæquatè sumpta, idque in decreto completè & adæquatè sumpto, importat subsistentiam VERBI; sed non operatio inadæquatè accepta, & per ordinem ad inadæquatum decretum, & licet decreta operatione, necesse sit decernere & principium illius etiam mediatum, si sit necessarium & indispensabiliter requisitum; sicut tamen non requiritur subsistentia; unde etiam illa opera, secundum quod profecta non nisi à natura elevata per gratiam, & secundum quod dignificata à VERBO, essent quidem eadem materialiter, sed non eadem formaliter.

DICES. Si posset decerni & prævideri naturam operaturam sine subsistentia, id ideo esset, quia non necessario pendet in operando ab hac determinata subsistentia: Ergo etiam poterit decerni natura operaturam, sine ullo principio operandi, & actione; quia etiam natura, non pendet ab hoc determinato principio operativo, & actione.

RESPONDETUR. Negando causalem; non enim ideo præcisè id fit, quia non necessario pendet operatio ab hac determinata subsistentia: sed quia simpliciter potest esse operatio, & non dependere à subsistentia. Quamquam, quod sensu concederet aliquis antecedens, eodem concederet consequens.

Punctum Difficultatis 2.

Argumenta Partis affirmantis.

1. ARGUMENTUM objicit sibi Suarez tale. Quamvis absoluta præscientia meriti, in tali humanitate, non antecesserit electionem ejusdem, tamen præscientia conditionata antecessit; præcivit enim Deus, quod, si assumeret humanitatem, in illa, futura erant magna merita.

RESPONDET in suis principiis Suarez. Sed in ordine ad intentum dici potest, etiam præscientia conditionata meritorum dignificationem jam dignitate increatam, non præcessit electionem conditionatam ad unionem: quia conditionatè prævideri debuissent, sine conditionata dignificatione per VERBUM, atque adeo sine titulo condignitatis ad merendam unionem hypostaticam. Si autem non præcessit præscientia conditionata illorum meritorum, ergo erant quid posterius unionem; si posterius, ergo non poterunt mereri jam se priorem unionem.

2. ARGUMENTUM objicit sibi tale. Potuit humanitas Christi prædestinari prius ad gratiam & gloriam, & in illa sic prædestinata poterunt prævideri merita, propter quæ, ad unionem hypostaticam prædestinaretur.

RESPONDETUR. Hæc merita non fore nisi de congruo, non enim forent dignificata dignitate divinâ; consequenter nec induissent rationem condigni meriti.

3. ARGUMENTUM est, Amici. Quod de congruo possit humanitas mereri unionem. Quia scilicet Deus, æterno suo decreto, prius ratione potuit velle efficaciter hanc humanitatem, cum iis gratiæ auxiliis, cum quibus præviderat illam sub quavis subsistentia, sub conditione, bene operaturam; ergo in præmium illorum operum, poterat hujusmodi unionem decernere.

RESPONDETUR. Argumentum ut proponitur non concludit; quia, in præmium meritorum conditionatorum, non datur quidquam absolutum.

4. ARGUMENTUM est à pari.

1. PARITAS. Poterat per nos Christus mereri electionem suæ Matris, etiam per merita subsequenter decretum, de electione Matris: quia poterat mereri per merita ultimò completa morte Christi, quæ mors posterior erat, electione Matris; ergo etiam poterat sibi mereri unionem, per merita sequentia unionem.

RESPONDETUR. Imprimis, tenendo quod Christus sit meritis meritis, licet non morte, electionem hujus matris: non erit jam difficultas; sed tenendo, quod etiam morte id mereatur, recurri debet, ut dictum supra in simili, ad acceptionem mortis, quæ prior fuit electione Virginis, & independens ab eadem; consequenter, in hoc merito, non ostenditur quidquam, quod causaretur ab aliquo posteriori. In præfenti autem præcessit unio hypostatica dignificans merita Christi: consequenter, si tribueretur illius actionibus vis merendi eandem unionem, hoc ipso poneretur, quod prius, causetur ab aliquo posteriori. Rursum, titulus Redemptoris præservativi præcessit signo electionem Matris: qui redemptor præservativus, etiam mortem suam conditionatè obtulit; si obtulit, cum ipsa mors conditionata compleatur sui esse absoluto, etiam illa merita, hoc sensu complebuntur, absolutâ morte; nec jam ostenditur, quod aliquid prius, causatum sit, à posteriori: cum illa conditionata mortis oblatio, præcedat electionem Virginis, hocq; non nisi sensu compleatur absolutâ morte, quæ est quid posterius Virgine, quia conditionata implentur absoluto. Jam autem quia non potest ostendi, quod conditionata prævisio meriti, condignè merentis unionem hypostaticam, & tamè præcedens eandem, debeat compleri absoluto merito: ideo non potest dici, quod illis sit meritis, tanquam completis, merito absoluto. Quod autem non præcesserit conditionatum meritum de condigno, probatum in responsione ad 1. Posset quis dicere, quod id meritis sit Christus Matri, sed non morte; possetque se tueri, quod etiam in Bulla Alexandri VII. præcitata, ubi agnoscitur Beatissimam

tissimam præservatam esse ab Originali, nihil habetur de morte Christi. Nam verba Pontificis sunt. *Intuitu, inquit meritorum IESU Christi, ejus Filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati Originalis præservatam immutam.* Ubi nihil loquitur Papa de morte Christi; sed hoc videretur esse derogatio dignitati Virginis, non participantis ex thesauro præcipuo, mortis & Passionis illius. Deinde cum Pontifex dicat id factum esse intuitu meritorum Filii, jam debuit id proficisci ex meritis, post prædictum, quod illa esset mater, quia scilicet illa merita, sunt à Filio Virginis, dicere autem, quod sint à Filio Virginis materialiter, seu qui postea erat decernendus Filius, videtur, quod non simpliciter acciperentur verba Papæ, in Bulla sua dogmatizantis. Posset item quis dicere, aliud esse, loqui de electione in matrem, & aliud de præservatione ab originali: illud, posset dicere factum ex meritis, independens à morte & matre, non tamen hoc posterius: possent enim signa rationis legitime formari, quibus, decreta substantiâ maternitatis, remitteret, decernendum de titulo immaculatae Conceptionis, ad posterius signum, scilicet jam sequens mortem absolute prævisam; & ita respondens negaret majorem supra assumptam ab Amico: quod eadem merita, quæ fuerunt causa electionis, fuerint causa redemptionis. Addo, hanc difficultatem etiam aliis solvendam esse, nam Christus est Redemptor Angelorum præservativus, idque suâ morte, & quomodo morte, siquidem decretum de illis servandis in gratia, præcessit absolutam prævisionem mortis?

2. PARITAS. Angeli meruerunt gratiam habitualement per actus, solum naturâ priores, ipsâ gratiâ. Ergo idem potuit Christus, per ordinem ad unionem hypostaticam.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia pro illo priori antecedentiâ, intelligitur jam principium elicitivum & elevativum, adeoque dignificativum, condistinctum à gratia habituali, nempe auxilium supernaturale; jam autem in præsentem, pro illo priori antecessione ad unionem hypostaticam, non intelligitur quidquam dignificativum, dignitate proportionatâ ad præmium, quod est unio hypostatica. Deinde hoc sensu conceditur, ut sint merita non nisi naturâ priora; quod scilicet, eodem instanti, sint, gratia habitualis & meritum; non autem quod gratia, quæ est posterior naturâ, eliciat illa merita, & dignificet.

3. PARITAS. Potest conferri merces in spem futuri pretii. Ergo & unio hypostatica, potest offerri in spem meritorum Christi.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia in casu antecedentis, intelligitur dignitas mercis ad pretium. Nec ipso pretio, stat illius dignitas; jam autem non potest, ante unionem hypo-

staticam, intelligi dignitas meriti, ipsaque unio, dat meritis pretium.

4. PARITAS. Modus causandi in causa meritoria, est similis valde modo causandi, causæ finalis; & ideo, quemadmodum finis, in apprehensione præexistens, causat sui ipsius executionem, ita & causa meritoria præexistens, poterit mereri executionem sui principii.

RESPONDETUR. Quando finis causat, habet jam aliquid proprium, sui constitutum in ratione finis, nempe bonitatem, sui gratiâ appetibilem, quæ antecedit sui executionem; jam autem illa merita, pro illo priori, non habent dignificativum proportionatum ad præmium; & si illud dignificativum intelligeretur, hoc ipso jam intelligeretur habitum, quod primò haberi deberet.

5. PARITAS. Potest rex militi dare arma, sciens, bene ipsi usurum, ita ut ipsa arma, sint præmium meritorum.

RESPONDETUR. Quia intelligitur antecedens fortitudo militis, dignificativa illius meriti, ideo concedi potest antecedens; non potest autem pro illo priori, intelligi dignificativum, per ordinem ad illud præmium; nec accipit in præmium miles suum robur, quo dignificat illud meritum: acciperet autem in præmium Christus, id, quod dignificat illius meritum.

5. ARGUMENTUM. Potuit Deus liberaliter, & omnino gratuito decernere, dare Christo unionem hypostaticam, propter merita, ab eadem ipsa unione, participantia valorem.

RESPONDETUR. Potuisse Deum decernere liberaliter unionem hypostaticam, sed non ita, ut illi liberali decreto, forent pro commotivo ipsa merita, unione jam hypostatica dignificata: quia hoc ipso, prius, causaretur à posteriori. Concedo quidem quod ordine intentionis prævideri possint prius merita Christi, præ ordine executionis; quia tamen, in ipso ordine intentionis, jam intelligeretur simul unio hypostatica, pro illo ordine intentionis, consequenter, jam se non posset habere per modum præmii, cum præmium debeat habere, rationem posterioris.

INSTABIS I. Per nos, & liberaliter, & titulo meritorum, movetur Deus ad prædestinationem formandam; ergo & ad decretum unionis potest moveri, & suâ liberalitate, & intuitu meritorum Theandricorum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia pro illo signo, pro quo intelliguntur merita, nondum intelligitur factum decretum prædestinativum; & si intelligeretur, jam non essent illa merita motivum illius decreti; jam autem pro illo signo, pro quo intelliguntur merita Theandrica, intelligitur jam unio hypostatica; ergo non potest esse præmium, quod debet habere rationem posterioris. In idem recidet, quod illa merita non sint effectus prædestinationis:

tionis; consequenter, si moveant ad prædestinationem, effectus non erit causa suæ causæ; jam autem merita Theandrica sunt effectus, suo modo, unionis hypostaticæ: ideoque si unionem causarent, causaretur prius, ab aliquo posteriori, ad eoque causa, à suo effectu.

INSTABIS 2. Iusti merentur absolute gratiam habitualement & gloriam, licet gratia & gloria, sint præfinitæ ante prævisionem meritorum; quia præfinitur, ut conferendæ in ordine executionis, propter merita; Ergo poterit dici & unio hypostatica, decreta, intuitu meritorum Theandricorum.

RESPONDETUR. Casum antecedentis verum esse: quia, in quo signo intelligitur liberalitas, tanquam motivum prædestinationis, nondum intelligitur prædestinatio, sed se habet per modum posterioris: si se habet per modum posterioris, nihil sequitur absurdi, ut ipsa gratia & gloria cadat sub meritum; jam autem cum intelliguntur illa merita dignificata, unione hypostaticâ, hoc ipso jam intelligitur unio; si intelligitur, jam non potest habere rationem præmii, quia nec rationem posterioris. Rursus, quando decernitur liberaliter gloria, non decernitur dependenter ab actibus visionis ponendis, eo quod hoc ipso intelligeretur ejus antecedentia, cujus deberet intelligi sequela; ita nec potest decerni unio hypostatica, dependenter à meritis Theandricis, quæ sunt posteriora illis.

INSTABIS 3. Etiam hoc decretum unionis, factum est, ut respiciat unionem, tanquam dandam propter merita.

RESPONDETUR. Negando illud sic potuisse formari.

6. ARGUMENTUM est. Saltem potuit Christus, mereri excessum hujus unionis, præ illa; quia potuit Deus decernere humanitatē Christi, cum hac vel illa unione hypostatica indeterminate; & Christo sic præfinito, potuerunt videri merita, ex quibus prævisis, potuit velle hanc potius unionem. Pertrahat hoc punctum Aldrete disp. 27. & affirmat Sect. 4.

RESPONDETUR. Vi unionis hypostaticæ, potuisse mereri Christum, ut sibi, per posterius, daretur in præmium excessiva aliqua unio, neque enim tunc, deberet causari prius, à posteriori; non tamen potuit mereri primam unionem, ex dictis. Sed quia hæc merita, erant merita nunquam ponenda, non poterant movere efficaciter, ad dandam præsentem unionem: quod applica, etiam inferius dicendis.

INSTABIS 1. Aldrete. Principium merens, quod est formaliter elicivum meriti, jam intelligitur determinatum, & simul merita præfinita; ergo illis potuit moveri Deus, ad conferendam unionem de se meliorem.

RESPONDETUR. Concedo totum. Sed nego, moveri potuisse ad conferendam unionem primam.

INSTABIS 2. In ipsa unione distinguendum est per rationem, quid cadat sub præmio, & quid detur gratis? hoc enim fit etiam in humanis, dum commutantur dignitates.

RESPONDETUR. Hæc duo distingui posse; sed nego etiam hoc distincto, quod posset cadere sub meritum condignum, prima unio hypostaticâ.

INSTABIS 3. Id, quod dignificat opus, non debet realiter distingui ab ipso præmio.

RESPONDETUR. Hoc concessio, negatur, quod opus non debeat semper habere prioritatem, respectu præmii; quam prioritatem non haberet, si primam unionem, ut dictum, mereretur.

INSTABIS 4. Potest distingui in gratia, quod se habet per modum formæ dignificantis opus ad præmium; ergo idem dicendum de commutatione unionis hypostaticæ in meliorem.

RESPONDETUR. Concedo totum; sed nego, quod prima unio unquam cadat sub meritum.

INSTABIS 5. Si meritum videatur infallibiliter elicivum, sive detur hoc principium, sive aliud, poterit, qui recepturus est præmium, pacisci cum remunerante, ut sibi detur hoc melius principium.

RESPONDETUR. Potest pacisci, ut sibi detur pro post, non autem primo; propter dicta.

7. ARGUMENTUM. Cum merita Christi sint infiniti valoris, & non possint sufficienter remunerari per præmia subsequenter, ideo extendere debent suam activitatem ad præmium, de quo hic.

RESPONDETUR. Non posse id fieri, quia causaretur à posteriori id, quod prius est; hoc autem repugnat.

Punctum Difficultatis 3.

Quid tenendum?

ASSERO 1. Opera elicita à natura per vires gratia, proprii naturæ ante unionem, nihilominus in instanti reali unionis, si sumantur prout sunt à parte rei, habent condignitatem indeterminate ad aliquam unionem hypostaticam.

RATIO. Quia adæquate sumpta dignificantur in re dignitate VERBI, respectu autem meritorum dignificationum dignitate VERBI, non est excedens præmium, aliqua unio hypostatica, ut dictum supra.

ASSERO 2. Eadem opera sic sumpta, habent quidem dignitatem coæquationis, ad unionem hypostaticam propriam & primam, sed non habent rationem meriti. Partire dignitatem coæquationis à formalitate meriti, coæquatio, stat in æquali dignitate: formalitas autem meriti, stat in conditione actionis laudabilis, natæ habere collationem præmii, sui intuitu.

I. Pars Asserti

PROBATUR. Quia scilicet dignitas illius

* m

actio-